

munificentia vinci, minus flagitiosum. Ceterum de repub. vestra, cujus curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum unquam volui: fines meos adversum armatos armis tuitus sum. Id omitto, quando vobis ita placet: gerite uti vultis, cum Jugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar; neque id iatrare Jugurtham sinam. Praeterea, si quid meque vobisque dignum petieris, haud repulsus abibis. —

VI. JULIUS CAESAR.*

EX BELLO GALLICO.

Lib. VI. Cap. XIII. In omni Gallia eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt duo: nam plebes paene servorum habetur loco, quae per se nihil audet et nullo adhibetur consilio. Plerique, quum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus: in hos eadem omnia sunt jura, quae dominis in servos. Sed de his duobus generibus alterum est Druidum, alterum equitum. Illi rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit, magnoque ii sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt; et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt, praemia poenasque constituunt: si qui aut privatus, aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Haec poena apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum,

* Ex edit. Stereot. Lipsiae, 1829 an.